

Semina *Reaumureæ* meæ misit D. Hasselquist ex Alexandriâ; germinârunt, sed perierunt intrâ mensem, exceptâ unâ, quæ usquè in brumam duravit ægra, vix unicum vel duos flores promens, antequàm, ingruente hyeme, perierit, quamvis inter hybernaculum asservata; delectatur apricis, sed dolui quòd non dabam aquam salsam. Potestis plantæ semina facilè habere ex Alexandriâ, quam vestræ naves quotidie petunt, ubi in littore vulgarissima.

Si tua planta dicatur *Reaumurea*, poterit et hoc defendi, cum in non paucis differat à *Martyniâ perenni*, sed nunquam persistet genus quin ab aliis ad *Martyniam* referatur; si poteris assumere meam plantam, certus eris quòd genus nunquam mutet.

*Cynanchum erectum* possideo siccum, sed sicci flores in hâc gente difficilè extricantur. *Apocynum Venetum* non habeo, sed videtur mihi ita affine *Apocyno Cannabino*, ut difficilè distinguatur. Apoc. Cannabinum nunc floret, et habeo antè oculos unâ cum *Asclepiade Syriacâ*. Ascl. Syriaca habet corallam reflexam; Apoc. Cannabinum et Venetum, campanulatum, ut de his satis convictus sim.

*Tilthymalus amygdaloïdes angustifolius*, vel erit *Euphorbia segetalis* vel potius *Euphorbia esula*; tu iudices, qui plantam possideas vivam.